

**Dissertatio inauguralis, de necrosi ... / eruditorum examini subjicit
Gulielmus Joannes Greer.**

Contributors

Greer, William John, -1864.
Woodforde, James
Royal College of Surgeons of England

Publication/Creation

Edinburgi : Excudebat P. Neill, 1825.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/sgfdva8a>

Provider

Royal College of Surgeons

License and attribution

This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

(9.)

D I S S E R T A T I O

I N A U G U R A L I S ,

D E

N E C R O S I ;

Q U A M ,

A N N U E N T E S U M M O N U M I N E ,

E X A U C T O R I T A T E R E V E R E N D I A D M O D U M V I R I ,

D . G E O R G I I B A I R D , S S . T . P .

A C A D E M I A E E D I N B U R G E N A E P R A E F E C T I ;

N E C N O N

A M P L I S S I M I S E N A T U S A C A D E M I C I C O N S E N S U , E T
N O B I L I S S I M A E F A C U L T A T I S M E D I C A E D E C R E T O ;

P r o G r a d u D o c t o r i s ,

S U M M I S Q U E I N M E D I C I N A H O N O R I B U S A C P R I V I L E G I I S

R I T E E T L E G I T I M E C O N S E Q U E N D I S ,

E R U D I T O R U M E X A M I N I S U B J I C I T

G U L I E L M U S J O A N N E S G R E E R ,

H i b e r n u s ,

C O L L E G I I R E G I I C H I R U R G O R U M I N H I B E R N I A P E R M I S S U S , &c.

Causa morbi multiplex; saepe obscura, interdum prorsus ignota.—
GREGOR. Conspect.

K a l e n d i s A u g u s t i , h o r a l o c o q u e s o l i t i s .

E D I N B U R G I :
E X C U D E B A T P . N E I L L .

M D C C C X X V .

DISENTATIO

INAGURATIÆ

DE

NECROSI;

AD CYPRIUS

GOETZ

ANNAE

ANNAE

ANNAE

ANNAE

DR. GEORGII BAIRD, SE T R

ACADEMIA MEDICO-CHIRURGICA

IN

ARTIBURGIANA SANCTUS KYDRIANICUS

ACADEMIA MEDICO-CHIRURGICA

ÆTIO GÖTTSCHE DOCUTORÆ

COMMISSIONE IN MEDICO-CHIRURGICO-TRINITARIO

CONFIRMATIONE CONFERENTIA

CONFIRMATIONE CONFERENTIA

CULTIVATÆ VOLVÆ CHIRUR

DISPUTATIONE

CONFIRMATIONE CONFERENTIA

CONFIRMATIONE CONFERENTIA

CONFIRMATIONE CONFERENTIA

KOMMISSIONSVEREINIGUNG DER MEDICO-CHIRURGISCHE

EDINBURGH

CONFIRMATIONE CONFERENTIA

CONFIRMATIONE CONFERENTIA

AVUNCULO SUO CARISSIMO,
ADAMO GILLESPEY, M.D.
VALETUDINARI DONEGALENSIS,
QUOD APUD OPPIDUM LIFFORD EST,
CHIRURGO,
QUI PER MULTOS ANNOS,
CUM SUMMIS LAUDIBUS,
ARTEM MEDICAM
EXERCUIT ;
HOC TENTAMEN,
LABORUM PRIMITIAS,
PIGNUS QUIDEM TENUE,
PRO MULTIS MUNERIBUS
ACCEPTIS, ET NUNQUAM OBLIVISCENDIS
ANIMI GRATI,
DEDICAT
QUONDAM DISCIPULUS
AUCTOR.

ADAMO GUILLESPY, M.D.
DISEASES OF THE HUMAN BODY
AND MEDICAL PRACTICE

IN EIGHT VOLUMES
AT THE END OF WHICH IS
A TREATISE ON MEDICAL

EXERCISE.

GENERAL INFORMATION

LAZYHUN PREMIA

PICTURESQUE TRAVEL

UT sedis securis Aegaei Utriusque
pro multis nimirum
Defensione opere, quae hinc interdum etiam
accipitris et nivaria officia
mox in Medicina potest impetrare generatissi-
mam gratiam
nem de sibi et ab omnibus postulata est
surgere, ipsorum; cum praeceptum esset non
Medicorum subtiliter ponendis utrue res
ministris per exteris amicis HIC TORQUES multaque sit
qui jumenta conditio utrue imponere non es-
tibz Hic puerum portare desiderantibus non
poterunt neque optineantur, dum postulatis

James Woodforde Esq;
M.A. M.R.C.P. M.R.C.S.L.

D I S S E R T A T I O

I N A U G U R A L I S ,

D E

N E C R O S I .

GULIELMO JOANNE GREER Auctore.

U T legibus Senatus Academici Universitatis Edinensis obtemperem, quæ unumquemque summos in Medicina honores ambientem, dissertationem de aliqua re ad medicinam pertinente prescribere, jubent; eam affectionem ossium quæ *Necrosis* appellatur, pro argumento hujus tentaminis præ cæteris suscepi, utpote quæ morbus sit, cui homines conditionis vitæ inferioris oram occidentalem Hiberniæ partis septentrionalis incolentes imprimis objiciuntur, quem porro, dum per

aliquot annos magno Nosocomio in ea vicinia pu-
pillus aderam, mihi observandi saepe facultas fuit.

Quum animum ad scientiam imperfectam, quam
Anatomici et Physiologi antiqui de vera forma-
tione, organorum compage et structura ossis, ha-
bebant, advertamus, multaque commenta, quæ de
hac re protulerunt et defenderunt, respiciamus;
minime mirum erit, pathologiam hujus generis
diu obscuritate haud parva obtectam esse.

Hodie vero, cum studium Anatomiae, omnium-
que disciplinarum ad eam attinentium, per ratio-
nem rudes artes instituendi meliorem, copiamque
cadavera, et in statu naturali et morboso, inspi-
ciendi multo majorem, adeo simplex factum sit,
scientia medicinæ ad eam eminentiam, quam bene
meretur, pervenit.

Ab experimentis, igitur, accurate institutis in-
jectionibusque minutis constat, ossa ex arteriis,
venis, nervis et absorbentibus, inter se invicem
connexis, per substantiam cellulosam, in cuius
cellulas magna copia materiae terreæ deponitur,
consistere.

Si injectio feliciter effecta fuerit, apparebit,
sanguinem ossibus suffici a tribus vasorum serie-
bus; quarum primæ vasa valde minuta sunt, et in

ramulos communiter per fibras periosteis superficiemque ossis exteriorem distribuuntur; secundæ seriei vasa quoque a periosteo derivantur, prioribus majora sunt, et substantiam ossis per foraminula ejus superficie innumera, intrare conspiciantur; vasa tertiae seriei sunt vere nutrientia vasa membranæ medullaris, per foramina nutritia ineunt, et pauciora sunt quam utriusvis sierum priorum. Ab analogia sola, hæc omnia vasa per anastomosin inter se conjungi credere liceret, quæ quidem sententia injectionibus vera monstrari queat; si enim fistula in arteriam nutrientem imponatur, tota injecto compleri potest, dummodo, sit corporis junioris, et materia colo-
rans probe levigata fuerit.

Constat, igitur, quod in exemplis plerisque, ubi inflammatio in una vel pluribus horum vasorum seriebus, originem habet, cito per totas patuerit, et in destructionem vel ossis universi, vel partis ejus cuiusvis, desinere possit, quia vitalitas gene-
ris ossei minor plerumque morbi decursui obstare nequit.

HISTORIA MORBI.

Vocabulum *Necrosis*, si accurate loquimur, mortem, quacunque in parte corporis acciderit, significat; at sœpissime tamen, ad eam affectionem ossium designandum, usurpatum, qua, os totum vel pars ejus quævis vita sua orbatur, ob effectus inflammationis, causæve alias cujuslibet in structuram osseam agentis; et dein sequitur, vel eodem tempore occurrit, renascentia novi ossis, quod omnibus muneribus prioris fungi valeat.

Nullum corporis humani os prorsus ab hoc malo immunitatem habet; ossa, vero extremitatum præ cæteris ei obnoxiora esse videntur, ista præsertim quæ minime molibus partibus, veluti tibia, ulna, clavicula, &c. obteguntur.

Haud raro ossa plura vel simul aggredi observatur, vel temporibus a prima invasione distinctis. Puellulam ipse vidi, circiter annos quatuordecem natam, in Valetudinarium receptam, quæ Necrosi in utrisque tibiis laborabat; post tempus haud parvum, sanata dimissa est, at fere sex menses postea, eodem morbo in ulna dextra rediit.

Multa hujusmodi exempla, quibus plura ossa

simul affecta fuerant, ab auctoribus memoriae traduntur; unum præcipue a Doctore MONRO memoratum est, in quo fere omnia corporis ossa morbo correpta fuerant.

Opiniones diversas auctores diversi in medium protulerunt, et tuiti sunt, quod ad rationem attinet, qua renascentia efficitur; quidam enim eam periosteo tribuunt, alii, vero, id aliquid omnino ad talem finem conducere negant.

Inter eos qui opinionem posteriorem strenue defendunt, est Dominus RUSSEL, multaque argumenta adducit, et talia verba habet:—“ If the ossific matter was deposited between the layers of the periosteum, both the internal and external surface of the new bone would have a covering from the original periosteum, which, as appears from examination while the parts are forming, is not the case, as ossific granulations are observed on both surfaces; and the new bone is so blended with the surrounding parts, that it is impossible to distinguish and separate them from each other; whereas if the new bone was covered externally by the periosteum, the separation would be distinct and easy.

“ This new shell forms under circumstances

“ where it is impossible that the original perios-
“ teum can have any share in promoting the pro-
“ cess, as in certain cases of compound fracture,
“ where the cure is accomplished by the forma-
“ tion of an osseous shell, exactly similar in all
“ respects to the osseous shells which form in the
“ common cases of Necrosis.”

Hæc doctrina porro comprobatur quibusdam experimentis ab eo, in animalibus, institutis ; uno præsertim, ubi periosteum a tibia abrasit, de qua re ita dicit :—“ Yet, notwithstanding its removal, a new osseous mass was formed, with all the appearances which usually attend the renovation of new bone, and in all the perfection of an ordinary case of Necrosis.”

Ex his argumentis et experimentis ex toto negat, periosteum omnino ad renovationem ossis conferre ; non autem docet, quo abierit periosteum, cum neque in parte externa, neque interna, ossis recens formati conspiciendum occurrat ; neque ulla documenta affert, quæ in solitis Necrosis exemplis periosteum reproductioni non inservire demonstrent.

Hæc argumenta et experimenta hoc et nihil amplius mihi comprobare videntur ; quod, os sa-

num suo periosteo casu aliquo privatum, fere potestatem habeat granulationes ex sua superficie producendi, in quibus materia ossifica deponatur; cuius profecto exempla habemus in ossibus juniorum periosteo orbatis: constat quoque, quod, in junctione fracturarum, periosteum, ossis superficies fractæ, et substantia cellulosa circumjacens, ad annulum ossium formandum, qui extremitates inter se committit, conspirent.

Minime necessario apparet, partem internam et externam ossis regenerati laminis periostei obductam esse, quoniam materia ossifica, non solum inter laminas ejus, sed per totam substantiam, deponitur; hæc membrana, in organica fabrica, formaque structuræ, inflammatione renovationi præcedente, adeo mutatur, ut a substantia cellulosa circumacente discerni nequeat.

Aliquatenus Domino RUSSEL assentior; non enim, periosteum adesse, ut os renovetur, prorsus necessarium, puto; quoniam exempla accidere possunt, et, ut opinor, vere accident, ubi periosteum, modo et tempore iisdem ac os ipsum, deperditur, et tamen regeneratio more solito fiat.

Discrimen membranam fibrosam inter et substantiam cellulosa, tantummodo in densitate

constare, et eas structuræ ejusdem esse, et magna ex parte in se invicem morbo converti posse, opinor. In malo, de quo agitur, exemplum habemus periostei, quod Membrana Fibrosa appellatur, adeo mutati, ut a substantia cellulosa circumjacentे non possit distingui; et in luxationibus diu haud reductis, novum ligamentum capsulare, priori viribus prope æquum, et ad ejus munera perficienda, sine magno incommodo, valens, formatum invenimus.

Quia mihi copia fuit, membrum ejusdam, qui brevi postquam eum necrosis invaserat, alio morbo mortuus erat, inspiciendi; iis assentiri volo, qui, reproductionem in exemplis plerisque, mutationi in periosteum inductæ attribuunt, et præser-tim opinioni faveo Doctoris MACARTNEY, qui sic dicit:—“ The first and most important cir-cumstance is the change which takes place in “ the organization of the periosteum: this mem-brane acquires the highest degree of vascularity, “ becomes considerably thickened, soft, spongy, “ and loosely adherent to the bone. The cellular substance also, which is immediately connected with the periosteum, suffers a similar altera-tion: it puts on the appearance of being in-

" flamed, its vessels enlarge, lymph is shed into
" its interstices, and it becomes consolidated with
" the periosteum." Tum porro dicit, quod, post-
quam materia ossifica in hac substantia molli,
quæ periosteum pristinum fuit, secreta et consoli-
data est, substantia cellulosa inflammata tenuis
fiat, vasa ejus imminuantur, demumque in peri-
osteum ossis recens formati convertatur.

Hic morbus sub formis duabus sese manifestat,
Acuta, scilicet, et Chronica; quarum prior stadia
sua diversa velocitate majore percurrit, et majo-
rem constitutionis generalis turbationem, quam
altera secum affert; hæc enim sæpe lenta est, et
insidiosa, raro habitum universum, nisi levissime,
afficiens. At præter has duas species extremas,
quoque stadio et gradu inter eas sese prodere,
ideoque symptomata convenientia exhibere, potest.

Quoniam ossa longa artuum Necrosi magis
quam cætera obnoxia sunt, præcipue ea pars quæ
Scapus vocatur, et malum rarius ad extremitates
eorum serpit, nisi forma accerrima; in paginis,
quæ secuturæ sunt, ad morbum in his ossibus ut
apparet, tantummodo animadvertam.

INDICIA MORBI.

In symptomatibus hujus morbi considerandis, non potest esse quin lucide appareat, ea multum a forma aggressionis, quod ad modum suum attinet, pendere. In fere omni exemplo, tamen, initium invasionis dolore profundo sito plus minus intenso, qui non pressura augetur, et tumefactio, vel integumentorum discoloratio absunt, notatur. Hic dolor a quibusdam circa vesperem, praesertim si die exercitatio corporis sumpta fuerit, augescere dicitur; haec indicia per temporis spatium, pro lenitate vel vehementia aggressionis, brevius vel longius praestant.

Si morbus formam acutam adeptus sit, signis supra memoratis, die secundo vel tertio, succedit; tumor cedematosus per lineam ossis, et saepe per totam extremitatem sese extendens, cui accedunt omnia symptomata febris sympatheticæ: tumor brevi pressuram acriter sentit, notam cedematosam amittit, et partibus subjacentibus firmiter adhaeret. Abscessus aliquot jam per lineam ossis affecti sese produnt, qui erumpunt, et copiam magnam, pro magnitudine sua, puris bene formati

effundunt; at ob res circumstantes plurimas, vel in constitutione ægri, vel natura partium, humor effluens sæpe vitiatur, itemque copia rebus iisdem determinatur. Simul ac hi abscessus formantur, tumefactio, magna ex parte subsidit, attamen adhuc soliditate crescere perdurat.

Abscessus in exemplis plerisque, proclivitatem ostendunt, ad eam ossis extremitatem primo formari, quæ propius trunco corporis situm habet, alteraque abscessus raro priore in situ superior formatur. Quomodo ratio hujus rei reddi possit dicere nequeo, neque eam ab auctoribus annotatum esse cognovi.

Ulceræ his abscessibus relicta, cito formam fistulosam adipiscuntur; omne signum inflammatio-
nis jam submovetur, et plerumque papilla parva fungosa, coloris pallidi, sese protrudit, per aperturam pus elabi sinentem, vel ad ejus centrum, vel partem circularem. Tales aperturæ *Cloacæ* dictæ sunt, et aliquando adeo parvæ sunt, ut tantum specillum commune admittunt, quo linea perpen-
diculari (aliter, enim, ob nexum arctum inter partes molles et os novum, præterea quia aper-
tura in osse recente semper est ejusdem magni-
tudinis, et penitus situ apposita aperturæ in par-

tibus molibus transire nequit), ad superficiem ossis demisso, magnitudo et conditio *Sequestræ*, seu ossis mortui, pro comperto habebuntur.

Sublatio sequestræ proxima pars est processus, et ab hac cito vel tarde perfecta, morbi diuturnitas pendet.

Nonnunquam viribus naturæ solùm sequestra submovetur in toto; at, in exemplis plerisque, frustis minoribus, rejicitur, neque hunc processum ac illum tantum doloris et irritationis comitatur. Separatio frustorum parvorum citissime fieri incipit, postquam ulcera formam fistulosam adeptasint; raro vero antequam, nisi in exemplis acutissimis, ubi mors perfecta ossis renovationi præcesserit, quæ tamen exempla paucissima existunt. Antequam frustum ejiciatur, nonnihil inflammationis observatur circa *cloacam*, dolore comitante, ab ægro pungente dicto; interdum levis hæmorrhagia accedit, lateribus fistulæ a spiculis frusti asperis laceratis, effecta; hæc frusta intervallis per aliquod tempus eliminari perstant, donec tandem abscessus novi inferius formentur, idemque processus peragatur, dum omnis sequestra tollatur. Hic quoque annotari debet, *cloacas* primarias sanari, fere simul ac alteræ formantur.

In aliis, inflammatio separationi frusti præcedens latius patet, et haud parum tumefactionis tensionisque excitat, comitantibus diminutione, vel etiam ex toto suppressione humoris effluentis, itemque gradu magno febris inflammatoriae, quæ decedit, simul ac pus collectum elabitur; quod, vel per aperturam pristinam, vel ei quam proximam, accidit.

Quando sequestra tota protrudere proclivitatem ostendit, processus fere idem est, etsi gradu majore. Abscessus formatur, qui rumpitur, et contenta sua effundit; hic autem minime obsistitur; absorptio ulcerativa aperturam recens factum corripit, et ad tantum ampliat, ut sequestra protrudere sinatur: postquam aëri per aliquod tempus objectum est, nigrum fit; dum ea pars, quæ ad margines aperturæ spectat, et adhuc in pure mersa est, colorem suum albido-subflavum, id est, colorem ossi mortuo proprium, retinet. Separationi ulteriori absorptio ulcerativa favet, quæ partem aperturæ inferiorem ampliare perstat, donec tota removetur, eodem tempore ac regeneratio et consolidatio supra fiunt. Hæc autem regeneratio secundaria, a priori, in hoc discrepat, quod prima, ut jam observatum est, in periosteo inflam-

mato accidit, dum contra, secundaria, in strato granulationum, efficitur, quæ a superficie interna parietis posterioris ossis novi, oriuntur, et absorptioni parietis anterioris respondent. In tali exemplo os novum depressionem anterius habet, magis compactum, et minus mole gravatum, quam in iis, ubi sequestra frustatim exierat, appareat. Annotatu dignum est, extremitatem sequestræ superiorem esse, quæ semper sese protrudat, et directione ad superficiem planam ossis obliqua.

His rite perpensis, constaret, hunc esse cursum et progressum morbi solitum ; plurima tamen exempla sunt, quibus totum decursum ad sanationem perfectam percurrit, neque tamen ullum indicium appetet, sequestram per aperturas in osse novo elabi ; vel quando hæc videtur, ratione cum magnitudine ossis mortui comparata, minima est.

Hoc, vel ex sequestra absorpta per granulations in superficie ossis novi interna, oritur ; vel ea forma morbi esse potest, quam verbis sequentibus

Dominus WHATELY describit :—“ Sometimes
“ the inflammation may pervade at the same time
“ every part of the bone, gradually changing its
“ serous into vessels carrying red blood, by which
“ the whole bony texture may be uniformly de-

stroyed, its earthly particles set at liberty and absorbed;—and what was a few days before so hard and impenetrable, as scarce to be acted on by the sharpest instrument, be now reduced to a vascular pulp, with here and there a few small bits of bone, which will afterwards become ex-
traneous bodies.”

DE CAUSIS.

Multum adhuc obscuritatis de causis Necrosis existit: adeo saepe in iis, qui omnino sani videntur, ac in iis, qui natura malo habitu instructi sunt; causas tamen ejus, pariter ac cæterorum morborum complurium, in Prædisponentes et Occasionales auctores distribuerunt.

Quod ad *causas prædisponentes* attinet, eæ ad ætatem, strumam, syphilin, scorbutum et carcinoma, relatæ sunt.

Ætas, qua hic morbus sæpiissime accidit, est ab anno octavo ad vigesimum; in paucis maturius, at rarissime serius, accidere cognitus est, nisi maxilla inferioris necrosis excipiamus, quæ morbus est ætati adultæ proprius.

Siquando complura ossa afficiuntur, hic morbus, ut opinor, cum diathesi strunosa conjunctus invenietur, et haud raro hydrarthrus genu simul cum Necrosi existit; at ab observatione dicere vellem, ægros in plerisque exemplis, ab iis signis, quæ habitum strumosum præcipue insigniunt, immunes esse.

In stadiis provectionibus syphilitis, scorbuti, et carcinomatis, inter multas alias ossium affectiones, Necrosis nonnunquam occurrit: num vero ab effectibus morbi specifici, an tantum a conditione constitutionis debilitata pendeat, dicere non liquet.

Inter *causas occasioneas*, recenseri possunt omnia, quæ inflammationem in partibus corporis mollioribus inducere queant, et plerumque in adhæsionem, suppurationem et gangrænam desinant; quoniam vero ossa vi vitæ minore quam pleræque partes aliæ corporis humani prædicta sunt, ideo conspicuum est, morbo minus obstarere, vel suas vires pro actione existente augere valitura esse, et, igitur, quando æquilibrium, vim inter et actionem in ossea structura, perit, mortificationem accedere, idque inflammatione etiam

minore, quam quæ, ad suppurationem in partibus
mollibus inducendam, suffecisset.

DIAGNOSIS.

Signis et progressu morbi rite perpensis, vix
potest esse, quin ab ullo alio facile discernamus ;
morbi tamen, quibuscum facillime confundi po-
test, sunt,

Exfoliatio communis ;

Ampliatio ossis generalis ;

Exfoliatio interna.

In exfoliatione communi tumor est flaccidus,
et fere circumscriptus, dolor sub pressura augetur,
neque alte tendit ; cum lamina ejicienda ulcer-
tione, detegitur, non oblique sese protrudit ; le-
vior est, et ad margines æqualior ; facilius in plano
superficiei ossis perpendiculari deprimi potest ;
tali modo cum deprimatur, sensus ægro imperti-
tur, quasi spongia subderetur, dolore acuto comi-
tante ; moveri nequit in linea piano ossis respon-
dente, et humor effluens plerumque vitiatus ex-
istit.

In ampliacione ossis generali, processus lentior,

et magis insidiosus est ; dolor levis, si ullus adsit, sine tumefactione, vel coloris mutatione integumentorum, quæ non præter naturam ossi subjacenti adhærent, neque ulli abscessus vel ulcera formantur.

In exfoliatione interna, diagnosis haud ita facilis est : hic quidem dolorem profunde situm observamus, itemque abscessus spiculasque ossis parvas per aperturam prodeuntes ; at quoniam os magnitudinem pristinam retinet, et depositio ossifica externa abest, hunc morbum a Necrosi distinguet.

PROGNOSIS.

Quum ossa partes sint non ad vitam prorsus necessariæ, raro accidit, ut hoc malum in lethum desinat, nisi quando vehementia irritationis, et suppuratio late patens, febi hecticæ originem præbent ; prognosin igitur nostram, a numero ossium affectorum, habituque ægrotantis priori, pendere oportet.

multatq; enim angustius horridus est nubes

DE MEDENDI RATIONE.

In Necrosi tractanda, ad tres indicationes generales respicere debemus :

1mo, Actionis morbidi vehementiam temperare.

2do, Sequestræ sublationem promovere.

3to, Valetudinem universam meliorem facere, viresque ægri, inter morbi decursum, sustinere.

1mo, Si inflammatio vehementissima sit, eamque febris sympathetica comitetur, sanguinem e brachio mittere necesse fiet ; hoc autem caute fieri debet, ne vires nimis minuantur ; finis maxime verisimilis futuri, ratione bene habita. Hirudines parti affectæ admoveantur, quibus succedant lotiones frigidæ, aut fomentationes calidæ, prout hæ vel illæ aegro gratiore fuerint, si, enim ad hoc rite attendamus, raro in errorem trahemur. Pulvis Ipecacuanhæ compositus, vel Pulvis Antimonialis, copiis, pro ægri ætate, determinatis, exhibetur. Quando dolor sævissimus est, et aegrotanti somnum adimit, remedium anodynum ad cubitum præcipiatur ; cura simul habita, ut alvus facilis teneatur per aliquod purgans mite et blan-

dum; veluti, oleum ricini, sulphatem magnesiæ et similia. Membrum in situ horizontali servari debet, omni motu, nisi qui necessarius sit, evitato; et simul ac pus formatum est, exitum ei statim permittere oportet; nihil enim tantum ad inflammationem et irritationem continuandam confert, quantum puris collectio, cuius exitus, porro, postquam abscessus aperti sint, applicationibus, quæ generis quam maxime emollientis esse debent, sæpe summotis, plurimum promoveatur.

In formis hujus morbi mitioribus, multum beneficii, e vesicatoriis mature admotis, vel invicem partibus membra diversis, vel cerato sabinæ aperitis retentis, acceptum est. A mea observatione, meliores effectus ab iis oriri vidi, cum sæpe admovebantur, quam cum cerato sabinæ aperta tenebantur. Aëris mutatio, diæta levis et nutriendis, cursusque mercurii alterativus, vel sub forma submuriatis hydrargyri, vel hydrargyri cum creta, prosecutus, donec sine ptyalismo afficiatur, sæpe quoque haud parum prodest.

2do, Quoniam diurnitas morbi, a præsentia sequestræ pendere, bene nota est, multæ rationes laudatæ et assumptæ sunt, ut id citius tolleretur;

veluti, perforationes, medicamenta acria et irritantia extrinsecus adhibita, cauteriumque verum. Quoniam, vero omnia, ad agendum in os mortuum ipsum, instituta sunt, nihil boni, at multum irritationis, sanationemque per vires naturae efficiendam, morari potius quam accelerare queant.

Quoniam sequestra a partibus vivis absorptione disjunctiva separatur, ea remedia tantum adhiberi debent, quae illum processum promovere cognoscuntur, quorum nulla quam epispastica majorem laudem adepta sunt.

Postquam, tamen, pro certo habetur, separationem esse perfectam, tum sublationi faveri licet, rationibus, quales ingenium medentis ipsius suggerat; hoc effici potest vel per incisiones, vel perforationem trephino effectum, vel aperturis per spongias praeparatas ampliatis.

Tempus definitum, quo sequestra amoveatur, non sine cura determinari debet; si, enim, hoc præmature tentetur, sequelæ graves esse possunt; si, contra, nimis sero, vires ægri adeo minutæ fuerint, ut operationem dolorem afferentem tolerare nequeat; tempus, igitur, seligendum est, statim postquam separatio sequestræ penitus perfecta fuerit, tum enim, os novum molle est, et facile

perforandum, quæ res operationem multum promovebit. **Hoc** autem minime semper sperari potest; os novum enim sæpe, antequam sequestra separatur, penitus consolidatur.

MODUS OPERANDI.

Incisio longitudinalis per partes molles ad os usque facienda est, longitudinis diversæ, pro magnitudine sequestræ: partes molles jam retractoribus metallicis separatæ tenendæ sunt, prius ab osse subjacente disjunctæ. Quum os ipsum hoc modo nudatum fuerit, et sedes vera extremitatis sequestræ superioris comperta, corona trephini pro magnitudine ossis novi excidenda est, huic puncto respondens, et altera, intervallo variabili, infra, quæ magnitudine sequestræ dirigenda est; parsque ossis intercedens Domini HEY serra tollenda; vel si os novum molle adhuc sit, scalper validus eidem consilio æque inserviat. Sequestra deinde caute amoveatur forcipe vel digitis, et apertura si non satis magna fuerit, quavis direktione forte necessaria amplietur. Interdum, quando cloaca, extremitati sequestræ superiori, respondet, si hæc larga est, trephinum omitti

queat, et quum extremitas sese protrudit, præcipue ad partem superiorem, nunquam hoc omnino opus est.

Postquam sequestra amota fuit, quies ægri in positu horizontali imperari debet, cataplasmatibus emollientibus simul admotis, donec inflammatio decedat; et deinde applicationes leves, et fascia octodecim caudis, vel ea SCULTETI usurpetur. Dum consolidatio adeo proiecta fuerit, ut æger exercitationem corporis modicam assumere sinatur, tum fascia spiralis, non minus constricta, admoveatur, et per aliquod tempus postquam ad sanationem perventum est, continuata; hæc plurimum ad membrum sustinendum et roborandum conferet, et actione absorbentium excitata, molem et aspectum informem minuet.

Multi, ob metum operationum, sequestram submoveri non sinent, donec constitutio adeo irritatione et humoris profluvio copioso debilitetur, ut ad amputationem solum configiendum sit. In exemplis hujusmodi ad consilia, in tertia indica-tione prolata, respicere oportebit.

A supradictis primo intuitu fortasse appareret, sublationem sequestræ maturam, optimum et fere

solum remedium esse, cui fidendum sit: multa autem exempla sunt, quibus hoc remedium adhibitum, non modo incommodum sed etiam periculum afferret. Ad ea animadverto, ubi morbus formam mitem exhibet, cum parva vel nulla irritatione, aut habitus generalis turbatione; et ubi, nulla proclivitas ostenditur ad sublationem sequestræ ab externa parte. Processus tamen naturalis, haud parum, a remediis, in prima indicatione, ut exemplis formæ mitioris idoneis, memoratis, adjuvetur.

3tio, Nihil magis, ad valetudinem ab omni parte meliorem faciendum, valebit, quam aër purus, exercitatio corporis modica, et diæta tenuis et nutriens. Æger, si in urbe degit, ad rus vel oram maritimam migrare debet, et tantum exer-citationis sub Jove pleno, quantum res circumstantes sinant, adhibeat. Cibus facillimus concoctu sit, cum vino vel alio liquore fermentato modice, et pro re nata assumpto. Cinchona officinalis, ea forma, quæ ventriculo gratissima fuerit, præscribatur; boni effectus, quoque a vegetabilibus decoctis, præcipue decocto sarsaparillæ composito, percipientur.

DE NECROSI.

25

Siquando Febris Hectica supervenit, cum sudoribus copiosis, cum diarrhoea alternantibus, tum rationem medendi, ad constitutionem spectantem, persequi oportet, iis remediis adjectis, quae ad sudorem et diarrhoeam compescendum maxime efficacia reperiuntur. Priore consilio satisfaciendo, acidum sulphuricum præ cæteris idoneum videtur, vel cum cinchona exhibitum, vel per se in aqua distillata dilutum, adeo ut hæc grate acidulata fiat. In alvi fluxu sistendo, electuarium catechu, vel mistura cretæ cum opio et catechu, efficacia remedia inveniemus.

In decursu et fine hujus morbi, cautelam naturæ munificiam satis admirari nequimus, utpote quæ quoddam in locum ossis pristini sufficiat, quod hujus muneribus cunctis fungi potest, et quo non supposito, membrum ipsum ex toto inutile factum esset. Porro, cum morbus sese in forma mitiore prodit, habitusque corporis bonus est, plerique qui eo laborant, parum omnino mali sentiunt, et omnes vitæ occupationes, animique delectationes, incommodo quidem minimo percurrunt.

FINIS.

DISSEMINATIONE
MATERIALIS

182

Изложено в виде лекций
в Академии наук Российской империи
в 1822 году

О ЯЗЫКЕ

АКАДЕМИЧЕСКОЙ ИНСТИТУЦИИ
ПРИ АКАДЕМИИ НАУК РОССИЙСКОЙ ИМПЕРИИ
В 1822 ГОДУ

Составлено С. С. Соловьевым

и издано в 1822 году
в типографии Академии наук Российской империи
под редакцией Академии наук Российской империи

СОЛЛОВЬЕВЪ

Санкт-Петербургъ
1822

С. С. Соловьевъ
Санкт-Петербургъ

С. С. Соловьевъ
Санкт-Петербургъ

С. С. Соловьевъ
Санкт-Петербургъ

БИБЛИОГРАФИЯ
САНКТ-ПЕТЕРБУРГА
1822